

dentibus et aliis potentioribus amicis, vindictam sumpsit: juvenis formae elegantis, sed de infima plebe, pecuniis, omnibusque ad splendorem necessariis interea sublevatus, ad Angelicam, ut matrimonium ejus peteret, missus est, quae optima fide, pretitio Nobili huic nupsit. Inito matrimonio illico pictor, quem Angelica respuit, ad eam accessit, dolumque ipse detexit. Inconsolabilis Angelica, via juris processit, conscessumque est quidem divortium, tenebatur nihilominus viro huic annuam praestare pensionem, qui post aliquot abhinc annos obiit. — Consensit dein Angelica in aliud Matrimonium, feliciori cum successu, licet liberos nullos susceperit. Pictor Venetianus, *Zuchi* nomine, voti secundi maritus erat.

Post reditum Londino, Romae continuo habitaverat Angelica, neque reliquit amplius hanc urbem, nisi cum valetudinis curandae causa, ad Como, in partibus Mediolani divertisset.

Mortuo Zuchi, Angelica sibi soli, et arti, amicisque propinquis vixerat. Domus ejus, exteris cumprimis, et hospitibus patebat, ita, ut nullus, qui Romae fuserat, ad Angelicam invisere neglexerit.

Ab ultima commoratione Romae, multum pinxerat Angelica, nullus enim, cujuscunque dignitatis, status, aut ordinis, qui Romam advenerat, quin documentum insignis artis Angelicae possideret; Roma discessit.

Celebria sunt opera Angelicae, praesertim in effigiibus quarum innumerabiles, variae magnitudinis, pinxerat. Non neglexit interea studium artis sublimioris, eminebatque in historicis repraesentationibus, et idealibus foemineis. Ad repraesentationem corporis muscolosi nudi, tanquam sexui suo non usquequaque convenientis, se non immiserat, contenta formis gypseis, tum consilio, judicioque prudentum amicorum.

Ea, quae Angelica pinxerat, praecipue amoenitate, et gratia excellunt, crescenteque aetate, majorem expressionis gradum obtinuerunt. Colorum rationem plene in potestate sua habuit, meritoque laudem, qua fruebatur, obtinuit.

Si verum est, veri nominis artifices, characterem suum in cunctis operibus exprimere, suavitate, comitate, et foemineam teneritudinem in cunctis picturarum ejus operibus diserte legeris. Pacifica adparent omnia, sicut ipsa semper pacis, et tranquillitatis amans fuit. Solers, et assidua operi iucumbebat, majorique cum affectu anno aetatis sexagesimo, quam decimo sexto pingerè solebat. Placidissima, praevisam mortem excepit, ultimaque expirantis vox fuit: *gratias*.

Multos Angelica, per vitam suam, eosque aestimatis-
simos habuit amicos; at morti proxima, praecipue italico-
rum notorum, et familiarium multitudine stipata erat.

Testamentum ejus, prius jam factum, serius autem
nonnisi codicillo locupletatum, aliquantula attentione di-
gnum, documentoque est, Statum ejus non fuisse pauperem.

Nepti, in Anglia viventi, at diviti, Capitale 8000 li-
brarum anglicanarum, in bancone anglico elocatum, lega-
vit. Agnatis suis in Tyroli viventibus, dudum jam 16,000
imperialium legavit, cui summae, census etiam interusuri-
alis, capitale fere e dimidio adaequans, accessit. Cuius
defuncti mariti cognato, memoriae gratia, praetiosum quod-
piam donum imperita est. Ephebus ejus emeritus, et Ca-
meraria 1000 Imperiales obtinuerunt, insuper Camerariae
omnis ejus vestitus cessit. Serva alia 300 scudi accepit. Ec-
clesiae Andreae della Fratte 600 scudi titulo eleemosynae
legati erant. Complures noti, et amici, etiam non egentes,
aut per dispositionem testamentariam, aut immediate e ma-
nibus aegrotantis, pecuniae summas, aut res pretiosas ob-
tinuerunt. Unicus agnatus, natione germanica, qui labore
improbo vitam suam sustentavit, nulloque obsequiorum ge-
neri, Angelicae insigniter praestandi, pepercit, non largam
expertus est, tam generose aliis distribuentis manum, 50
quippe duntaxat in codicillo pro illo exposuit imperiales.
Ipsa nempe dives, necessitatem, statumque egenum pau-
peris artificis haud sensisse, justoque plus personis, eam
continuis adulationibus circumcursantibus propensa esse vi-
debatur.

Possedit bibliothecam selectissimorum librorum, effi-
gies complures Originales ab antiquis artificibus pictas, mul-
tas res pretiosas, ei a diversis dono oblatas, et delectum
figurarum gypsearum, quae omnia, maxima parte cognato
euidam, curam rei domesticae gerenti cesserunt.

Talis erat Angelica, quam pro Musarum decima, re-
commendare sustinemus. Forte post paulo eveniet, ut Par-
nassus, manibus barbarorum eripiatur. Graeciam, praeser-
tim autem Boeotiam, haec concernit relatio:

Semlino de 1. Decembris: Litterae e Sarajewo scriptae
memorant, Civitatem hanc omni ex parte contra hostiles
impetus muniri. Circa aggeres, et receptus (redoute) 16,000
hominum quotidie mutatis vicibus operam indefessam lo-
cant. Cives, pro defensione Civitatis destinati, formantur,
dividunturque in 3 agmina; quorum quodvis e 8—10,000
constabit. Presidia caetera, et arces pariter fortificantur, et
milite instruantur. Usque 12. Novembris stabant serviani im-
moti, tanquam ultiores adprocedendum ordines primum
expectare volentes. Rumore ex Schabatz perlato, dicitur

Bascha *Bekiar*. die 8. Novembris, posteaquam videlicet vidisset, commendantes amborum serbicum exercituum, semet cum *Kruska* conjunxisse; nuncium cum litteris, propria manu exaratis, ad commendantes hosce misisse, illa cum propositione: daturum se 2000 bursarum (singulam, uti scimus à 500 piastris) summam, si e Bosnia excesserint, verum propositioni huic delatum non est.

Diarium Politicum.

Die 29. Novembris, publicus nuncius *Russo*, cum litteris officiosis legati anglicani, Petropoli existentis, Londinum pervenit. Attulerat is declarationem russicam, contra Angliam a Ministro Romanzow confectam. Eodem tempore advenit etiam e Svecia D. *Merry*. Celebratae erant post haec illico Londini cum omnibus Ministris conferentiae, qui post praelectionem declarationis hujus torvos formabant vultus. Quid desuper resolverint, ignoratur. Sequenti die vero ephemerides *the star* dictae, hunc peculiarem continuabant articulum: „constituimur nunc in eadem situationes, quemadmodum anno 1793 Gallia. Universa tunc Europa contra Galliam erat; nunc autem Europa universa contra nos est. Sed quanta differentia inter vires, et populationem Galliae, et apud nos?”

Expeditionis contra Hafniam directae, finem quidem assecuti sumus, at in reditu multa evenerant infortunia navis nempe legionis 97. totaliter submersa est, supremo Vigilium Magistro o *Gergovan*, 2 Locumtenentibus, 6 vigiliarum Magistris, 2 tibicinibus, 173 militibus, 49 mulieribus, 34 prolibus simul in mari intereuntibus. Aliud praeterea Navigium. *Princeps de Gattes* adpellatum, eadem ipsa die aquis mersum est, nullusque praeter Capitaneum, duos itinerantes officiales militares, et aliquot classarios, evasit. Numerus eorum, qui in aquis vitam exhalarunt 130 adaequat.

Parisiis die 13. Novembris. Secundum relationes, Bruxellis exaratas, Generalis russicus magni caeteroquin ponderis, qui incognitus manere voluit, per Civitatem hanc Parisios iter suscepit.

E loco *Sables* nunciatur: calendis Decembris, adparuisse in littoribus hostiles naves numerosas.

Tergesto die 3. Decembris. Heri hic feralis in theatro accidit casus. Consors divitis Mensarii (banquier) *Joachini Hirschel*, et ejus nurus, nata *Vicante*, a Proxenata ejus (sensal) interfectae sunt. Consors ad primum pugionis ictum exanimis cecidit, at nurus 5 ictibus interempta est, et hac vice primario post puerperium, domo agressa erat. Homicida hic, qui ex amore infausto, eo quod non redamaretur, horrendum facinus istud perpetravit, ipse ad carceres properavit, et motiva sua scriptotenus exhibuit.